

autem s̄apissimè & frequentissimè) non continuò indi-
gnetur & stomachetur.

53. Benè Themistocles aiebat, se platanis simi-
lem, sub quarum umbrâ accurrunt homines affecti tem-
pestatibus, & easdem ut serenitas rediit, vellicant, &
consiprant. Usque adeò humanæ fragilitatis ni-
mia est in rebus prosperis oblivio. Quod ait Plutar-
chus. (b)

(t) In Scipione Africano fol. 107.

54. Sed non omnes tamen eodem sunt ingenio,
neque propter unius aut alterius improbitatem inter-
mittendæ sunt benè de quam plurimis merendi occa-
siones, ut benè Cominæus. (u)

(u) Lib. 2. de Reb. Gallicis pag. 377.

55. Imò fieri potest ut unus aliquis licet tenui sit
beneficio affectus, insignem aliquam operam præster, &
reliquorum ingratitudinem cumulatè resarciat & re-
compenset. Idem Cominæus. (x)

(x) d. lib. 2. pag. 377.

56. Quid? Ab omnibus precium *ἰστιγόπον* solvi
non potest. Errant enim & quidem graviter, qui suis
Præceptoribus externo aliquo beneficio satisfactum iri
somniaut, quasi verò virtus & salus animi levis fortunæ
judibrio remunerari possit,

— — *animum non munera iactes.*

57. Paucis. Pii debent esse ut ficus, quæ etsi lace-
rentur & peñsimè tractentur, non degenerant tamen in
rubum, sed manent bona arbor, ut graviter D. Luthe-
rus. (y) Æquè & illi ingratitudine quorundam commoti
fuo isto de virtutis studio & studio non discedant, sed
instar Termini contra illius indignitatem consistant,
inque proposito bono persistant.

(y) Commentar. in Gen. c 26. fol. 47. v. Hæc omnia.

58. *Accipientis*: Hic dignus sit oportet nostris be-
neficiis. Digni verò non nisi boni, qui tamen & ipsi
non semper supremis confident in gradibus, sed & cum